



Disputatio philosophica inauguralis de sono et audito

<https://hdl.handle.net/1874/343251>

26

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
IN AUGURALIS
DE
SONO ET AUDITU,

Q. V. A. M.
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri , atque in inclytâ ejusdem Academiâ
Medicinæ Anatomes & Botanices Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicî Consensu & Subtilissima
Facultatis PHILOSOPHICÆ Decreto,*

Pro DOCTORATUS in PHILOSOPHIA GRADU, & ARTIUM LIBERALIUM
MAGISTERIO, omnibusque prærogativis rite ac legitime consequendis,

Publicæ Philosophantium censuræ exponit

CORNELIUS van HOUTEN, Batavus.

Ad diem 25. Septembris, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ **FRANCISCHALMA**, Academiarum
Typographi, c̄lo Ic Lxxxv.

Prænobilibus , Generosissi-
mis Dominis,

D. WILHELMO vander MEULEN ,
Domino de Blyenborgh, inclytæ Civita-
tis Ultrajectinæ Senatori & Ex-scabino
Consultissimo, optime de Republ. merito
indiesque plurimum merenti.

D. PAULO ANDREÆ vander
MEULEN , in suprema Hollandiæ
Zelandiæ , ac Westfriesiæ Curia Sena-
tori amplissimo.

D. JOHANNI FREDERICO
MAMUCHET , Toparchæ in
Hoederingen, Lauwendrecht, &c. Tem-
pli cathedralis Ultrajectini Canonico
spectatissimo.

D. ALBERTO MEERMAN,
Reipub. Leydensis Senatori dignissimo,
Scabino Consultissimo, plurimum de
eadem merito.

D. AEGYDIO PANHUYSEN,
Do. in Stokkum, &c. Religiosissi-
mis executoribus novissimæ voluntatis
P. M. Magnifici & Musis dediti Viri
D. ANTONII HALLETII; Patronis,
Fautoribus & Mæcenatibus suis muni-
ficientissimis

*Hoc Exercitium Philosophicum, cum
animam debeat, L. M. Q.*

D. D. D.

CORNELIUS van HOUTEN,
Auctor.



Ibi in Philosophia , qua mihi per multos annos nihil carius nihil fuit antiquius , Lauream Doctoralem expetenti p̄r c̄teris h̄c de Sono atque Auditu arrisit materia ; cum quia multis jam ante tres annos operam meam pneumatica probaveram disputatione , tum etiam quod hanc multis ad palatum futuram probe noveram ob ejus excellentiam dignitatemque . Verum h̄c quamvis ita sint , non omnibus tamē hanc æque gratam ac acceptam futuram probe scio : siquidem multi , si dictionem respicias , rem numquam cognitam ornare malunt , quam rem probe exploratam sine fuso lectoribus exhibere , atque ita cum umbra sua , fere dixerim asini , pugnare . Atque hi quidem eo de grege sunt porci , qui scientiam sine verbis , quam ego tamen maximam dixerim , imaginariam ridentes , non norunt nisi rem abditam pluribus proferre modis . Veniam ergo dabit æquis rerum æstimator , si me in hoc eodem ludo ad hanc stultitiam minime eductum , simpliciter ea , quæ sum meditatus , proponere cernat . Verum hi si tantummodo essent , qui obſtreperent , parum foret , siquidem verbis fieret : sed sunt & alii . Verum enim vero , quidquid de hoc meo sit , me , si eos ut meliora nos doceant instigarim , & multum lucratum & voto non excidisse sum persuasissimus . Hisce ergo vale , Benevolē Lector , veritatesque tum Divinas tum humanas admirare perge . Ego , siquid sit , quod placeat , gaudeo , si minus , te tuo , dummodo ego meo , gaudere sinam genio . Vale , atque iterum vale .

CORNELIUS a HOUTEM

Yngelij

DIS-

DISSERTATIO PHILOSOPHIĀ

INAUGURALIS,

D E

SONO ET AUDITU.

PRELUDIUM.



Anc de Sono atque Auditu Exercitationem ut maiori evidentia & claritate Lectoribus exhibeam,
1. Quo fiat sonus modo? 2. Quem in modum
propagetur? 3. Quo pacto ab instrumentis exci-
piatur? 4. Qua ratione in dura incidat corpora?
explanabo. 5. Vero sonum tanquam fugacem
Deam ad auriculam usque prosecutus, quidquid
in hac machina notatu dignum erit, perscrutabor,
ita nostro de sono atque auditu satisfacturus insi-
tuto. Sed antequam ad ea, quæ mihi proposui transgrediar, pauca de
fono præfari libet. Hic mihi est tremulus motus quocumque ortus mo-
do, per varia media spiritibus animalibus communicatus: in quo demon-
strando multis jam non ero, quoniam id nullo negotio ex sequentibus
colligere dabitur.

CAPUT PRIMUM.

Sect. I. §. 1. Unde facile patet, ut ejus, cuius omnium primum mem-
tio est facta, omnium primum initium fiat, omnia illa corpora, a quibus
tremulus oritur motus, sonum excitare posse. Quæ omnia recensere cum
laboris sit infiniti rem omnem ad tria revoco genera.

§. 2. Primum est, cum corpus a quacumque causa percussum ob vim,
qua pollet, elasticam continuo conatur eundem, unde expulsum erat,
repetere locum, facitque continuos subsultus, donec omnem suum tre-
mulum in aërem transferat motum. Quod quidem i. videre est in cam-
pana, cuius a duro corpore compulsa, & in tremulum ob vim suam elas-
ticam motum actæ, vis excitandi sonos, sublato eodem per funiculam

5 DISSERTATIO

motu, tollitur. 2. Id unicuique patet, qui hexachordi chordas a plectri crinibus supra eas transeuntibus pice ant resina colophonia unctis in tremulum eo modo actas motum sonitum edere, picisque loco oleo adhibito, id minime fieri, percepit. 3. Id nos docet schyphus aqua repletus, per cuius marginem digitus aqua madefactus subsultibus fertur variis, tremulum suum a digito receptum aquæ atque aëri communicantis motum atque eo modo sonum elegantem producentis. Hucusque de prima sonum excitandi ratione; sequitur secunda.

Sect. II. Hæc locum habet in pulvere pyreo, qui, ut res exemplo inclarescat, cum accensus multo majus requirit spatum, materiæ subtiliori utpote agitabiliore & pressæ spatiū quodpiam suppeditat, ubi cum ab aëre circumfluo prematur, reprimatque etiam ob suas vires, varias format conquassationes: ita ut flamma & aër crassior vices duri corporis aëri tremorem communicantis gerant. Quale quid etiam in auro fulminante, quod Chymici ex parte una salis tart: duabus sulph: & nitri tribus contritis commixtisque conflare solent, obtinet. Atque hæc de prioribus sufficiant, ut quid sit tertiam videamus.

Sect. III. Tertium igitur est, cum aër ad corpus quiescens allidit, atque ab eo pro ejus dispositione varias conquassationes recipit, unde varius sonus ad aures allabitur nostras. Quod quidem 1. loco in omnibus pneumaticis instrumentis locum habet, per quæ aër delatus ad ligulam allidit & pro ejus figura & dispositione varios tremores subit sensorio communis exhibendos. Ut id elegantissime cum in organis Ecclesiasticis, tum aliis instrumentis quo Curiosos lectores remitto, patet. 2. etiam in voce, quam quidem, quia maxime ad nos spectat, altiorisque est indaginis, ab ovo ordinar. Musculi intercostales & diaphragma cavitatem thoracis ampliorem reddentes spatiū quodpiam sola subtili materia refertum, quo aër ori proximus, cum maxime ab ambiente prematur, subtilisque in trachæa materia resistere in tantum non valeat, cogitur descendere: cum vero illud amplum spatiū vi muscularum angustatur, aëris eundem, quem deseruit repetere cogitur locum, ubi pro varia ad epiglottidem allisione, laryngis contractione, aliam atque aliam facit undulationem. Cum hisce tribus sonum excitandi modis ejusdem varietates adjicere non adeo sit præter institutum, quid sit sonus aut acutus aut gravis, aut gratus aut ingratus, sequenti sect. videbimus.

Sect. IV. §. I. Gravis igitur est, cum majores tardioresque in aliquo corpore factæ vibrationes spiritibus nostris per varia media communicantur. Unde chordæ, quo pauciores formant vibrationes, eo graviorem edunt sonum,

sonum. Unde & gravior etiam vox è larynge amplio, quia eundem ob spatii amplitudinem tanto impetu transire nequit, ut creberrimos excitet tremores. Unde etiam musica instrumenta majora majorem proferunt sonum. Nec est quod jam amplius miremur, pueros volentes sonum gravem emittere laryngem distendere. E contrario si in aëre succussions frequentissimæ ad sensorium delabuntur, ut id in chordis tenuibus maxime tensis, pueris & viris collum constringentibus, sit, oritur sonus acutus. Sed dantur præter hasce & aliæ vocis varietates: ut V. G. vox fusca, si larynx sit humidus, clara, si siccus, asperior si sit exasperatus, quod plerumque ex celeri nimis respiratione oritur, unde raucedo.

§. 2. Restat ut jam de grato atque ingrato agamus sono: Atque prioris quidem natura, cum simplex est, in eo consistit, quod membranam leniter afficit: posterioris vero in eo quod faciat ruptionis periculum. Gratus vero sonus compositus is est, cuius ictus aut continuo aut post binas, ternas, quaternasve coëidunt vibrationes si vero aut semper aut in certis casibus concordes non sint, est sonus inæqualis ingratus. Nec nos remorabitur quod quidam putent ictus chordarum inæquales & in fine tardius procedere, quia pendula, quorum eadem cum chordis est ratio, æquale in viginti primis ac in viginti secundis impendere tempus, constat.

Concl. 1. Diximus igitur, quantum sivit præfixorum terminorum brevitas, 1. sonum esse tremulum motum, in prælud: 2. Eum excitari vel ab elasticis corporibus, Sect. 1. vel ab aëre & alio corpore se dilatante, Sect. 2. vel à corporibus eum in modum dispositis, ut aëri ea percurrenti varios impertiantur tremores, Sect. 3. 3. Præcipuas tremorum varietates Sect. 4. explicavimus. In eo jam erimus toti, ut quo vehiculo hic tremulus ad aurem deferatur motus, videamus.

CAPUT SECUNDUM.

Sect. I. §. 1. Hoc caput ut clare tradam 1. an aér? 2. An materia subtilis? 3. An aqua? 4. An crassiora corpora sint soni subjectum, inquiram. Et quantum quidem ad aërem, hunc ejusdem esse subjectum docet 1. liquidi natura facile in omnes motus consentientis. Videre id est in tremore aquæ ab itu redituque cuiusdam baculi excitato, qua cum aér est multo subtilior & eundem ad corporis tremorem esse tremulum merito licet suspiciari. 2. Id patet ex liquore in schypho vitro contento & a dígito oras ejusdem lambente contremiscente, qui, quoniam crassior est, undulare non posset, nisi & aëri ab eodem motu tremores incutiantur. 3. Id, ex aëre cum extimpano,

timpano, tum organis Ecclesiasticis, & aliis instrumentis elapso admotæ manui tremorem incutiente, liquet. 4. Tacebo vitra ab explosa bombarda contremiscientia, ut & infinita alia, ex quibus hæc pauca delibare ferebat animus, ut eo promptius ad ea, quæ ab adversariis starent, nos accingeremus, imprimis cum hic nobis res sit cum magni nominis Philosopho ac Medico T. Willisio. En itaque præcipua.

§. 2. Obj. I. Aërem totum tam cito moveri non posse: sonus enim, referente Mersenneo, uno horæ minuto primo ultra orgyjarum quatuordecim millia fertur. 2. Sonum sive secundo sive adverso vento delatum ad eandem à centro distantiam aequaliter ferri. 3. Aërem in campanili agitatum non potuisse commovere candelam ardentem, quod fieret se totus aëris tremaret.

§. 3. R. ad Obj. 1. 1. Id afferere, præterquam quod prioribus repugnet, nulla ratione aut experientia duce est naturæ limites pro suo captu prefigere. 2. Id nullam apud cum, qui quam pernici motu aquosæ undulationes versus ripam excurrant, noveritque eandem ad aërem se ut 1. ad 1000 habere, merebitur fidem. R. ad Obj. 2. Id est quod nego & pernego, contrariumque & experientiae & rationi afferro. Experientiae: cum 1. docet nos sæpius eos vento secundo percipere sonos, quos adverso neutiquam perciperemus. 2. Hæc eadem docet circulos ulterius versus eam partem, versus quam tota moles aquæ fertur, excurrere. Imo & ipsa ratio à parte nostra stat: sumamus enim corpus A. in B. & id in C. motum transferre idque versus terminum D. certum est hæc, si, (dum A. in B. motum desert & ita de cæt.) communi quodam abripiantur motu, versus terminum D. citius perventura quam si nihil de isto communi motu participent. Quod cum adeo sit evidens, mirari satis nequco, cum hoc Clarissimo Viro magnum quoque lapsum Gassendum. R. ad Obj. 3. Præter ea, quæ adduxi, unicum argumentum Du Hamel testantis motum à campana ortum petaso illapsum manu posse percipi, oppono. Atque hisce satis, nimirum objectionibus Clarissimi viri ivimus obviam, restat ut eodem, quo in alios usus est jure in ipsum utamur.

§. 4. Postquam itaque nostram refutasset opinionem pro vehiculo soni solas ex part: subtilibus salinas nobis obtrudit. Ad quam rem enervandum unico nobis Illustris Boilei opus est experimento Ph. Mechanico xxvii. Ubi se horologium, quod in loculis gestari solet, recipienti immisisse, ejusque sonum hauisſe afferit: Verum antlia pneumatica aëre exhausto se ejusdem sonum percepisse, quamvis ut ex indicis patuit motu minime quietisset, negat. Si jam part. salinæ unicum forent soni subjectum, idem aëre exhausto propagari debuisset, siquidem part. subtile, inter quas sunt salinæ,

PHILOSOPHICA.

salinæ; neutiquam possunt educi: imo quid part: subtile loquor; cum ne omnes quidem part: crassiores inde possint extrahi.

§. 5. Paulo altius, aërem tremuli motus subj: esse evicto, rem repetamus, quod ut fiat undulationes ab injecto lapide in liquore factas spectemus, quandoquidem hasce inter se convenire uto ore fatentur omnes. Lapis ergo in aquam immisus undique à se proximam expellit partem, quæ pressa premit itidem proximam: verum cum maximam patiatur resistentiam, nunc sursum nunc deorsum instar penduli ob columnarum aquarum æqualitatem, fertur. Haud secus ac pars aëris proxima compressa seque dilatans premit proximam, quæ deinceps ob residuos in se motus gradus nunc sursum nunc deorsum fertur: unde sphaerica diffusio. Hanc quidem luminosa tardius ferri docet visus luminis sonum auditum antecedens à bombarda excitati, quia hic, uti omnino itinuimus, compressio & dilatatio requiritur, cum in lumine uno moto globulo tota linea moveatur. Ubi præterea zonas (ut ita dicam) centro propriores esse omnium latissimas, eo vero minoris latitudinis, quo longius à centro excurritur. eadem tamen servata mole, dignum est observatu. Unde ingens & quæ diu multorum exercuit ingenia nobis elucidanda oritur quæstio. Num sc: sonus pari semper feratur celeritate? Cujus quidem negativam, quidquid in contrarium, de qua mox, experientia, ex binis deduco axiomatibus.

1. Ax. Zonam unam aëream alteri zonæ motum communicare easque, quo plus à centro receditur, minoris fieri latitudinis. Quod clarissime in aquæ undulationibus videre est.

2. Ax. Æqualia corpora æqualibus motus gradibus prædicta æquale tempus in æqualibus corporibus movendis impendere. Sumamus jam Zonam secundam habere latitudinem duplam decimæ mole eadem servata, dico ex Ax. 2. tantum temporis requiri ut prima secundæ, quantum requiritur ut nona decimæ communicet motum. Præterea ex eodem Ax. infero tantum temporis, quantum in prioribus movendis requirebatur, requiri ut decima in undecimam transferat motum. Certum etiam est, cum zona decima sit ex assumpto dimidiæ latitudinis zonæ secundæ, & zona undecima ex præced: vix dimidiæ latitudinis, has binas zonas nondum æqualis latitudinis cum zona secunda. Certum etiam est, cum ad decimam zonam movendam tantum temporis impenditur, quantum ad secundam, & ad undecimam itidem tantum, tempus, quod duabus zonis movendis impenditur esse duplum ad tempus, quod secundæ zonæ impenditur, latitudinem tamen harum binarum zonarum nondum æqualem secundæ, adeoque in remotiori à centro parte ad eandem viæ latitudinem percurrentam requiri tempus nunc duplum tempori, quod cir-

10. D I S S E R T A T I O

ca centrum impenditur, ut probatum est, nunc plus nunc minus; pro varia à centro distantia, ut ex iisdem principiis facile deduci potest.

Q. E. D.

§. 6. Qua quidem in re admodum evidenti quot sunt Philosophi, tot fere mihi sunt adversarii suam experimentis, quæ se ex relatione Schelhameri sequenti habent modo, opinionem comprobantes. Sumpserunt itaque editum locum, ubi socios explodenda bombardæ reliquerunt, dein inde per decem perticas recessere, ubi post visam flammat penduli reciprocationes numerarunt, postea hinc rursus per totidem recessere, idque aliquoties, donec sonum æquali velocitate diffundi sunt comperti: quam in rem aquam proferunt in ejusdem tremoribus id ipsum observari dicentes.

§. 7. Quibus quidem experimentis 1. illud Kircheri Phonurg. p. 14 oppono dic: Nam voce tuba sclop. experimenta adortus ex uno eodemque loco deprehendi quo vehementior est sonus, tanto eum celerius reflecti. Unde sonum circa centrum, quoniam est vehementior, celerius ferri patet. 2. Hanc motu tam pernici ferri, ut impossibile sit quidpiam certi ab experientia peti posse, assero: conficit enim uno arteriæ pulsu hexapodas ducentas & triginta Parisienseis, ex relatione magni Gassendi adversam nobis tamen opinionem foventis. Adeo celeres etiam sunt, quæ formantur in aqua, undulationes, ut & dictu & visu sit mirabile. Unde facile lectribus patebit viros cæteroquin insignes turpiter hac in re ab experientia deceptos, graviterque lapsos. Hisce peractis, quid varietates ætheris efficiant videamus.

§. 8. De hisce quidem potissimum observatur, aërem crassum pluviosum turbidum nebulosum, repugnante licet Aut. Ph. V. & N. sonos obtundere refringere tanta vi ut vix a quo sint soni excitati instrumento dignoscas: non mirum siquidem crassius medium celeriorum vibrationum incapax bombum excitat: si vero subtilius fuerit contrarium obtinet, ut id in mat: subtili, de qua sect. sequenti agendum est, patet.

Sect. II. §. 1. Hanc itidem soni vehiculum ex eo colligitur 1. Quod minimus sonus etiam recipiens densissimum arcteque (Boileo tesse) occultum transeat. 2. Quod soni subjectum sint sp. animales materia certe admodum subtilis. 3. Quod campanula in recipiente suspensa (aëre educto) sonum sed subtiliorem longe edit; cuius ut & aliarum rerum curiosarum me in collegio experimentali Celeberrimi viri W. Senguerdii h. t. Lugduni apud Batavos Magnifici Rectoris Praeceptoris mei nunquam satis laudatus oculatum testem fuisse memini. Ut de aqua, hoc ad finem perducto, & reliquis crassioribus agamus corporibus restat.

Sect.

Sect. III. §. 1. Hanc quidem ego soni subj: dixerim si corpus sonorum aquam tremefacere possit, & docuit id me campana, quæ cum in aquam esset delapsa, sonum sed admodum obtusum, edebat: Profundius vero immissa, nullum, idque propterea, quod campanula neutquam totam illam aquæ vim potuisset commovere. Hinc est quod Plinius *Planu congregari feras & in piscinis Cæsaris genera piscium ad nomen venire*, testetur Nat: Hist: lib: x. cap. 70: Unde etiam Pechlinus de vita sub aquis Pag. 131. *Hortulanum suum cum in aquas octodecim ulnas altas demersus esset, vivum ibi degisse campanasque sonantes, licet obscurius, perceperisse testatur.* Gassendus vero urinatorem, cum non procul diepa campana urinatoria obvolutus in aquas per decem orgyas descenderet, iactus tormentorum audiisse negat. Quæ partim nostra corroborant, partim ex iisdem facile conciliari possunt principiis. Restat jam ut aliquid de crassioribus corporibus videamus.

Sect. IV. §. 1. Horum quidem alia recipiunt sonum ab ipsis sonoris corporibus alia ab allabente aëre, quod quidem posterius cum aptius Cap. 4. tractetur hoc loco transgrediar de priori nunc acturus.

§. 2. Qua quidem de re duce experientia constat trabem sonum in se extitatum illæsum transferre, idque sine ulla diffusione: hanc vob rem furdo sonus per cultum clavichordo impositum dentes ossa elegantissime exhibetur: Hinc etiam sonum equitum per aliquot millaria aure tua timpano terræ imposito applicata facile senties. Quibus etiam ars, qua cuniculos detegunt, innititur: imponunt scilicet terræ timpanum, quod, si fiant cuniculi, à motu per terram ad id delapso commovetur, fabasque injectas commovet. Huc etiam facit sonus, quem pueri cum forcipe in ex fune auribus applicato suspendunt aliisque corpori duro allidunt, solent excipere satis ingentem.

Concl. 2. Sono ipsis modis istisque varietatibus (de quibus Concl: prima in Fin: cap: primi) effecto affectoque pro vehiculo nonnunquam aërem, Sect. 1. aliquando subtilem materiam, Sect. 2. jam aquam, Sect. 3. jam crassiora corpora, Sect. 4. designavimus. Quid vero ipsi deinceps per aërem circumvolanti, si ab instrumentis recipiatur, obtingat nostrum est sequenti Capite pernoscerem.

CAPUT TERTIUM.

Sect. I. §. 1. Instrumentorum, de quibus hic nobis erit sermo, alia ampliori versus aërem patentia orificio plures colligunt radios: ut infundibula, tubæ stentoreæ, quibus auditui succurrunt senes. Alia vero ori admoventur, sonumque mirifice in unum cogunt, eumque vel inarticulata vel articulate profundunt.

Sect.

Sect. II. §. 1. Prioris generis sunt tubæ militares , buccinæ ; classice tibiæ , atque alia tibicinum cornicinumque instrumenta. Inter quæ celebris magni Alexandri tuba quindecum palm: qua exercitum ad centum stadia , quorum octo milliare Italicum considunt , cogebat: ut id refert ex lib: cui Tit. *Aristotelis secreta ad A. Magnum* in Bibliotheca Vaticana conservato A. Kircherus. Huc & Bubulcorum cornu ad mille passus sonum excitans ut est tubus in Galliis usitatus serpentinus dictus faciunt.

Sect. III. §. 1. Posterioris generis est laudabile hujus seculi inventum de Cochleatis , Ellipticis , Sphæricis , Conicis , & Conicis secundum spiralem lineam contortis , quorum quidem cum omnium primi tubi conici (Belgis *Spreek-Trompetten*) totam famam Europam peragrunt & nobis aliqua facienda est mentio. Horum quidem inventionem , ut de hac etiam agatur , nonnulli Samueli Morlando acceptam referunt , qui eam diu conceptam Anno 1670. in lucem edidit , fecitque unum ex vitro 2. ped. 8. dig. longum , cujus aperturae maximæ diameter erat 2. dig. angustioris 2. dig. cum dim. Hunc secundus ex ære long. 4. & Dim. pedis habens appeturæ maximæ diametrum 12. dig. minoris 2. dig. excepit , quem Rex ipse per 2550. pedes sonum profundere expertus est , stipante magna aulicorum caterva. Alii vero hanc A. Kircherø , qui se tales ad dandas recipiendasque voces asservasse asserit in museo suo , tribuunt industriam. Sed quidquid sit , ut taceam A. Kircheri fidem in multis satis sublestam , id saltem novi , postquam suum inventum divulgasset Morlandus , ex eo hanc hujus inventi famam antea latentem totum Europæum pervagasse orbem. Enarrato quidquid ad hæc instrumenta facit , ut de horum soni augmentante vi aliquid dicamus rei necessitas exigit , quod quidem ego , ne singulis demonstrandis immorer , tribus absolvo Axiomatibus.

Primum : Radios sonoros , haud secus ac luminis per concava vitra , per concava corpora in unum colligi , sive id fiat simplici receptione , sive continua in concava reflectione.

Secundum : Radios sonoros uti alia corpora angustiam spatii celeritate motus compensare.

Tertium : Omnem sonum , cum alias se diffundit in orbem , à tubo ex ore labentem excipi , & ita intensissime versus eas , quas versus dirigitur partes , vibrari. Atque ex hisce principiis hanc miraculosam soni multiplicationem desumendam esse putem.

Concl. 3. Sonum ita (ut in Concl. 1. 1. cap. annexa) excitatum , uten- temque aëre (ut Concl. 2. 2. cap. apposita) pro vehiculo hoc ipso capite nunc per instrumenta auribus applicata colligi Sect. 1. nunc inarticulatæ

Sect.

Sect. 2. nunc articulate Sect. 3. transmitti elegantissimeque intendi vidimus.
Restat ut quid, si in dura illidat corpora, fiat, videamus.

C A P U T Q U A R T U M.

Sect. I. §. 1. Corporum, in quæ sonus impingit, alia aut moventur aut quiescunt. Priori quidem ars, qua tonos campanarum explorant, innititur: solent enim hasce debito crassiores factas scanno tornario impositas eosque abradere, donec pulsæ campanæ instrumentum aliquod (nobis *een Staafje*) ejusdem, cuius campanam volunt, toni respondeat. Tale quid admirandi in omnibus ejusdem toni corporibus obtinet, ut V. G. chordis, vitris, quæ sèpius ab hoc ab alio tympano neutiquam commoveri experieris. Nec mirum profecto siquidem varia corpora elastica, ut varia pendula, variarum sunt capacia vibrationum. Quod si jam aërem eo motu, cuius potissimum aliquod corpus capax est, præditum ad tale corpus allabi contingat, illud eodem cieri motu non est quod miremur? Quin imo & id rumpi si ille motus intendatur mirum non est. Hac ratione vitrum tersum, explorato ejus tono, eundem tonum vox humana intonans disrumpit, dilaceratque.

Sect. II. §. 1. Posterioris vero generis, quiescentium puta, alia vel absorbent radios, ut in aulæis vestibus & aliis sit, quod suo docent exemplo. Musici artem suam neutiquam ubi multa sunt corpora porosa exercentes, alia vero reflectunt.

§. 2. In quibus quidem, quorum 1. alia sonum colligunt. 2. Alia dispergunt. 3. Adiaco, quo incidit modo, reflectunt, lineam incidentiam reflectionis æqualem esse observatur. Prioris generis est sonus, quem in punctis trilateris, quadrilateris, pentagonis, hexagonis, concavis & quibusvis fornicibus ortum egregie multiplicari docet experientia. Secundi generis sunt corpora ita disposita, ut ob convexitatem radios dissipent. Tertiis ordinis sunt reliqua omnia corpora crassiora, quæ nec convexa nec concava sunt.

§. 3. Quod si jam aëris non valens corpori communicare motum incidat in corpus planum perpendiculariter ab eodem versus loquentem, reflectetur efficietque vel bombum vel ecchum unius duarum vel trium syllabarum pro vario loci temporisque intervallo, nec non soni reflexi viribus: Certa enim distantia, cuius mox mentionem fecimus, efficit ut vocis pronunciatae ultimæ syllabæ reflexam destruant vel in totum vel ex parte, vel neutiquam, prout longius ab objecto receditur. Quanta autem præcise ea sit ad istas exhibendas differentias, cum ob medii varietatem, qua Eccho de nocte Mersethno teste 14. syllabus de die vero 7 repetit, tum ob

objecti constitutionem determinari nequit. Habemus cur nonnunquam plures aut pauciores syllabæ repetantur, cur una eademque vox sèpius iteratur, cogitemus.

§. 4. Hoc fit si objecta varia ita disponantur ut successive aërem allabent reflectant; quale in Ægypti Pyramidibus, in portu Olympiæ miraculo obtrudunt scriptores. Fit id etiam si sonus à duobus muris instar pilæ reverberetur, cuius generis illa admirabilis Eccho in villa Simonetta vicies aut tricies sonum repercutiens.

Concl. 4. Sonum varie (Concl. 1.) productum, aërique (Concl. 2.) ut vehiculo inhærentem, & à variis instrumentis (Concl. 3.) receptum, nunc corpora ejusdem toni movere (Cap. 4. Sect. 1.) jam in alia impactum, (à quibus nunc absorbeatur, nunc auctus, nunc minutus nunc ita uti incidit reflectitur) jam plures jam pauciores syllabas jam eandem vocem sèpius repetere speculati sumus. Ut ejus varios casus & labores in aure vobis depingamus, restat.

CAPUT QUINTUM.

Sect. I. §. 1. Aëris undulationes, quas hoc usque speculati fuimus, auris externa instar infundibuli colligit, (de quo Sect. I. §. 1. cap. 3.) quam ob causam etiam eadem quatuor cavitatibus, duabus anteriora duabus posteriora respicientibus insignita a summo aurium Architecto videtur. Huic illi, quibus frigore aut alio quovis infortunio auris periit, nec non illi, qui auditus defectui variis instrumentis aut ipsa manus vola succurrunt, omnes ad unum usque subscribunt. Qui tamen usus multo foret præstans nisi ab infantia mulierculæ continuo easdem fascibus capiti agglutinent: ut ita illam, si Dius placet, naturæ turpidinem emendent. Observatur præterea aurem tam internam quam externam cartilagine constare idque in eum finem, ne intra poros cuiusdam corporis, aut absorberetur, aut in osseam concavam superficiem incidens bombum quemdam excitaret. Quantum sonus eo collectus modo & per meatum auditorium, qui in principio latior, mox angustior, mox rursus latior, variis præditus est in flexionibus, descendens sumat incrementi, facile ex viæ, quam decurrit figura colligitur: haec enim, cum instar tubæ Polyphonicae sit, varieque etiam reflectat, quod sit adeo multiplicati soni causa mirum non est. Sequitur jam tympanum, de quo quidem cum maxima inter eruditos sit contentio, principes binas opiniones sum propositurus.

§. 2. Alii quidem ad sonum majorem, mediante musculo externo, tympanum, quod interiora versus retractum est, in planum restitui atque ita

xela-

relaxari, mediante vero interno ad sonum minorem intus trahi, ut eo intendatur melius, autumant: ut ita fiat capax earundem, quibus aër, vibrationum, atque ita solo ejus appulsi moveri, ut id in ejusdem toni instrumentis Sect. I. §. I. c. 4. vid. possit, possitque etiam per malleum incudem stapedem foramen ovale, intimo aurium recessui hunc communicare motu. Atque hæc admodum eleganter extogitata ex tympani, binorum musculorum trium ossiculorum natura videntur demonstrari.

§. 3. Alii vero sonum tympanum sine ullo detimento, ut alia solet corpora, transiunt & in os petrosum allisum per fenestram rotundam in intimos naturæ recessus permeare judicant. Hancque membranam arcendis injuriis malleum ejusque musculos nunc tensioni nunc laxationi incudem stapedem elevatos transmissioni aëris per ovale foramen inservire volunt Putem ego, ut quid sentiam libere profitear, muscularum usum, quem & secundæ sent. patroni concedunt, membranæ motum clamare: verum etiam ex eo fundamento id semper fieri neutiquam probari posse. Putem etiam experimento, quod magno Willisio debemus, docente canis auditum, impedito tremulo perforando tympani motu, non ilico sed demum post 3. menses desiisse, concludi posse 1. sonum sèpius tympanum sine motu transfire. 2. sèpius id etiam agitari ex muscularum usu facile dixerim.

§. 4. Soni hisce duobus modis in intimam cavitatem delapsi pars cochleam post foramen rotundum latenter intrat, mirificeque adaugetur, quod tubi cochleari instar sit, inque eo 3. illa cap. 3. memorata axiomata obtineant. Altera labyrinti circulos initio amplos medio tenues & in fine dilatatos perlabitur, atque tantum intenditur quantum id fieri in instrumentis stentoreis & quod plus incurvatis diximus. Mirabilis ille sonus tandem hic mirabiliter auctus spiritibus nervi auditorii in Cochlea & Labyrinto excubias agentis committitur ad sensorium commune devehendus, ubi alias atque alias in mente nostra excitat cogitationes.

Concl. 5. Et nunc quidem I. quot modis tremulus excitetur motus. cap. 1. II. Quibus subjectis inhæreat. cap. 2. III. Quibus ab instrumentis colligatur. cap. 3. IV. Quo pacto in dura incidat corpora. cap. 4. V. Quid in aure patiatur. cap. 5. Iustravimus & ita bono cum Deo, inquantum sivit institutum, instituto fecimus satis.

Restat ergo nihil, nihil restat nisi ut mente manuque in cœlum elevatis chori istius cœlestis dulcisoni Principi debitas pro ingenii, quod sentio quam exequum sit, viribus, quas mihi largitus est, agam gratias, semper memor finis nostri ultimi, qui ultimum apocalypticæ tuba Terricolis finem annunciat intonans: *Surgite surgite mortui & venite ad judicium.*

POSITIONES.

1. IN me ipsum conversus novi me cogitatione præditum, quæ cum à me sine extensiōne concipiatur, & eandem ejusdem modum esse merito nego siquidem alias ea, ut reliqua accedentia, sine subjecto concipi non posset. Ex quo fundamento de eadem cogitatur removendi sunt omnes conceptus nobis extensionem representantes, nemiserum inde resultet chaos: quo perversæ de ubi spirituum, de motu mentium, de carundem cum corpore unione, & plures aliæ pertinent, quibus ab infantiamens nostra imbuta est, opiniones.
2. Hac via regia dirigenz gressum meum 1. Facultatem nobis exhibendi simplices conceptus rem vel modum pro objecto habentes adverto, quos quidem sensuum occasione fieri, non omnino videtur negandum. 2. Binas ideas copulandi vel sejungendi in me exterior facultatem, quarum una subi: altera prædicati nomine venire solet. Atque hæc quidem mihi ad intellectum, siquidem est idea junctæ representamen, referenda videntur. 3. Nos, cum binæ aliquæ ideæ non sint satis claræ, tertiam, unde subjecti & prædicati nexus pateat, arcessere edocim sumus. Arque hæc omnia, ut veritatem, quæ in ideæ cum ideato conformitate consistit, assequamur, adhibentur, eaque vulgo ex prædicati cum subjecto nexus claritate innotescit.
3. Præter intellectum, quo priora faciunt, est in nobis voluntas de qua observatur, eandem ad actus suos secundum principia practica, quæ vulgo vel prima vel secunda sunt, dirigendos obligatam esse. Qui actus rationi conformes diversis positis circumstantiis diversas componunt virtutes. V. G. si quis fortuna adversa a rationi partibus stet, fortis dicitur, si vero mediis in voluptatibus, semperans, &c. Et hæc quidem ea lege ut supremus Legislator probos lætitia, improbos paenit coercent. Sonniant E. quotquot hanc alege civili aut metu puerili deducunt obligationem. Atque id est quod regnum Dei morale dic: Hæc principia rationis etiam hominem, quatenus est membrum vel familia vel alterius societatis publicæ, dirigunt. Posterior rem publicam formans aut regens politica dic: in qua salus populi suprema lex est.
4. Inter objecta de quibus egimus est extensio, quæ cum a Mathematico tum a Physico tractatur. Posterioris principia materia, extensio in longum latum & profundum, forma, particularem corporum constituens naturam, motus actualis translatio ex vicinia inviciniam corporis quiescentis. Horum tamen ope nullus mortalium se modum, quo hoc universum creatum est, invenisse sibi spondeat, siquidem id, teste ratione & experientia, sexcentis aliis potuit condi modis.
5. Nunc illud Augustum menis creatæ objectum nobis esset lustrandum: verum eius, ob temporis & chartæ angustiam, ut existentiam ita varia attributa præter alias questiones conflictui, ut latior Opponentibus, si hic non sit, campus pateat, reservare cogor.

F I N I S.

FRATER FRATRI FRATERNE.

Te, quem monte Parens fœta est enixa bicorni,
Te, labor infractus, te, te super æthera tollat
Fama tuba! Satis est: Reliquum cantetis amici!